



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Henrici || Svsonis Viri Sanctita-||te, Ervditione Et
Mi-||racvlis Clari, Opera**

Seuse, Heinrich

Coloniae, 1615

De summis Pontificibus. Capvt V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38029

facit contra Deum. At nunc Christianæ religionis instituta & sanctiones contempti habentur ab eis. Quorū quisque (oro) sic viuit hodiē, vt est primitus institutum? H. Clemens sine Deo, miserere sanctæ Ecclesiæ tuæ. D. Pro Ecclesia quidem sancta precaris. Sed dic tandem, qua sanctitate præditi sunt, qui nunc Ecclesia numerantur. Adspice tum clericos tum laicos. Equidem ad summos & præcipuos te remittam.

De summis Pontificibus.

CAPVT V.

DIC mihi, iam multis annis quot summos Pontifices in diuorum numerum referri vidisti, vt solebant olim, quando in sanctissimos coram Deo euadebant? H. Quid causæ est Domine DEVS, cur minus id fiat?

Cura summorum pontificum olim quæ quantaque.

D. Summi Præsules superiorum temporum, qui sanctorum catalogo ascribebantur, longe aliam, atque isti hodiē, ducebant vitam. Olim summa eos tenebat cura & sollicitudo, vt bonis omnibus tam spiritualibus quàm corporalibus, quæ quidem habere potuissent, S. Ecclesiæ confulerent ac opitularentur, erantque omnino priuati amoris & propriæ quæstionis expectes, & in cunctis actionibus ac omissionibus suis Dei honorem præcipue spectabant. Nequaquam tum ad cognatos & amicos, nequa ad diuitias vel honores respiciebant. Omnes conatus & actiones suas tota animi intentione in Deum

Deum referabant, eaque perpetim voluntas in
eis perseverabat, ut ignominiosam potius op-
eterent mortem, sicut & quibusdam euenit,
quam quicquam admitterent contra Deum.
Hac verò tempestate veri ac debiti ordinis lu-
men in nonnullis penitus extinctum est. Vide
num quid maiori eis curæ sit, quam ut honor
suis integer ipsis permaneat. Vide quanta eos
sua cura occupet, quo multas sibi cumulent o-
pes, quo cognatos & propinquos suos ad ho-
nores, diuitias, dignitates ac dominia proue-
hant, potius quam ex animo Dei spectent ho-
norem. Immo verò seipsum & quæ sua sunt, po-
tius quam Ecclesiam spectent in omnibus, quæ
vel agunt, vel omittunt. Atque ea ratio est, cur
iam inter sanctos minimè referantur.

De Cardinalibus.

CAPVT VI.

DEVS : Iam porrò si horum temporum
Cardinales spectes, vides nimirum, quã-
topere eo se accommodent, eoque nitã-
tur, ut suam ipsis gratiam præstet Deus, occul-
taque opera sua in eis efficiat. Avaritiã & su-
perbia occæcati sunt, cognatosque & consan-
guineos suos ad magnos promouent honores
& dignitates seculares: dantque operam, ut de-
functo Romanæ Sedis Antistite, ipsi mox in e-
ius locum subrogentur. Olim sanè mortuo
summo Præsule, Cardinales omnes medulli-
tus exterrebantur, veriti scilicet, ne Deo per-
sistente, ipsi in extincti locum adsciscerentur.

Cardinales
olim omnes
ut sese anti-
stite maximo
defuncto ge-
rebant.

Quæ